



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXXIII. Ioannis Papae VIII. Ad Aionem Epsicopvm Beneventanvm.

Commendat eum de zelo erga sedem apostolicam. monet vt sibi
adiumento sit in expellendis Sarracenis, suumque fratrem ad idem ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

guere: quanto potius, quod auerterat omnipotens, si contingat extingui? Vnde iterum iterumque totis singultibus totisque imploramus præcordiis, & per Christum Dei filium suppliciter adiuramus, qui vos ad tantum prouexit fastigium & imperium, vel nunc citatum extendite clementia brachium, & periclitanti patriæ, quin potius mundo, auxilii iam iamque porrigit dexteram. Ecce Petrus in commissis ouibus mergitur. Erigite ergo eas vos a fluctibus, clementissime. Sic vos ipse ab excessuum alluvionibus erigat, & vobis cœlestis atria regni intercessio-
1. Cor. 2.
 num suarum clauibus referet, & vitæ aeternæ pascua hue-
 nienda inter angelos sine termino tribuat, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. Data Idibus Februarii, indictione decima.

EPISTOLA XXXIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD AIONEM EPISCOPVM BENEVENTANVM.

Commendat eum de zelo erga sedem apostolicam. monet
 vt sibi adiumento sit in expellendis Sarracenis, suum-
 que fratrem ad idem faciendum impellat.

Reuerentissimo & sanctissimo Aioni episcopo Beneventano.

SVSCPTIS atque relectis literis sanctitatis tuæ, gratias
 omnipotenti Deo retulimus, & pro tuæ deuotionis af-
 fectu, proque sollicitudine, quam inquirendo de nostris
 euentibus habuisti, multum in Domino gratulati sumus.
 Decet enim, & omnino coram oculis diuinæ maiestatis ex-
 tatt conueniens, vt hi quos fideliores erga sanctam ma-
 trem cunctorum scilicet Romanam ecclesiam esse conspi-
 cimus, nostris affectibus, & si non per corpus, per spiri-
 tum amplectantur, & fraterna dilectione iuxta merita
 singulorum tractentur. De hoc autem quod afferis, te de
 nostra sanitate latari, sicut e contrario de oppressione Sar-
 racenorum tristari; optime quidem (vt ita dixerim) quant-
 um foris est, tangis: sed quantum intus est, iuxta tribu-
 lationem quam patimur, non aduertis. Præcipue cum
 pro populi nobis commissi vastatione solum nobis su-
 persit sepulcrum, & pro his qui nobiscum certare debuer-
 ant, & non solum inimicis Christi faueant, sed etiam no-

strum laborem impedian, immensis angustiis æstuemus. Sed in his non solum nobis orationibus a vobis subueniri precamur, verum etiam quos a communi nostro certamine deuiare cognoscis, & exemplo operis, & verbo prædicationis reuoces, exhortamur. Ceterum licet nostro itineri Neapolim nobis pro maxima nostræ ecclesiæ necessitate nuper aduentientibus non adhæseris: tamen quod per præsentiam non egisti, per absentiam, si ille calor fidei in te viget, quem credimus, agere prorsus valebis. Bene enim tuo ministerio cedis, si & laborem nostrum, quem valde debiles corpore pro liberatione Christiani populi tunc assumpsimus, opportune aduertis, & tribulationis, quam modo patimur, memor semper existis. Nam nunquam consilium fratri tui per aliquos tantum subuerti potuit, quantum per tuæ sanctitatis solertiam immutatione dexteræ excelsi non possit conuerti. Eia igitur frater carissime, accinge episcopaliter lumbos tuos, & medullitus fratrum nostrorum, pro quibus Christus suum sanguinem fudit, neces atque dictu horrendam captiuitatem perpende, & insta opportune, importune, fratremque iam dictum monitis, imo verbis increpatoriis exhortare,
1. Tim. 4. ut nostros pios conatus sequatur, & pro Christianis nobis certantibus opem tribuat, voluntatem extendat, & opus te instantे exhibeat, & misereatur Deus. Quid nobis proficit Christianum vocabulum, si opere Christiano caremus? quid prodest nobis cognouisse viam iustitiae, quando post cognitionem retrorsum conuersi, cum inimicis Christiani nominis tam libere foedera copulamus? Ergo (sicut diximus) beneficiis sanctæ Romanæ ecclesiæ tua sanctitas non ingrata nobiscum laboret, nobiscum pro salute populi Dei in illis partibus cooperatrix existat, & nostro certamini fauens, sanctæ Romanæ ecclesiæ se deuotam nomine & opere semper exhibeat. Quia si tu, sicut potest, peregeris, nec fratri tui, nec alicuius hominis factum, nostrum opus, piumque laborem, Christo iuuante, apud vestrates ex toto dissipare valebit: quin potius incrementum per Iesum Christum Dominum nostrum augebitur, & labor proficius apparebit. Data Kalendas Februarii, indictione decima.